



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 6. Dubium de electionis libertate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

*Dubium de electionis libertate.*

Hæc Pontificis electio parum grata accidebat populo. Commendabant quidem Balthasarem Cardinalem nobilitas generis apud Neapolitanos illustrissimi, atque ingenii præstantia præter eximiam illius in rebus publicis prudentiam: Verum vita, ejusdemque mores hucusque nonnihil liberiores, tyrannicum ejus imperium, quo legationis suæ tempore Bononiam divexabat, atque animus sæculi illecebris enutritus adipiscendæ Pontificiæ dignitati haud parum obstare videbantur. Nihilominus communi eligebatur suffragio, prout potior Scriptorum pars testatum reliquit, vel saltem solus & unicus erat Cardinalis Arelatensis, qui nunquam electioni Joannis suffragari voluit. Platina observat, quod Cardinales auro corruptos, præcipue illos, quibus tenuis erat res familiaris, ad suas traxisset partes. His addit Philippus Bergomensis, Cardinales a Balthasare ante sui electionem, ut ex ejus arbitrio Papam eligerent, gravibus minis fuisse territos, illo autem cunctos, quos ei Cardinales proposuissent, rejiciente, ac suborta inter ipsos dissensione, tandem eundem supplices adiisse, ut quem eligi vellet,

*Niem invest.  
in Joann.  
XXIII. c. 7.*



Sæcul. XV. vellet, enuntiaret, & illum eis respon-  
 A.C. 1410. disse: *Date mihi sancti Petri pallium, & ego illud Pontifici, quem vos eligere debetis, restituum, hoc dicto, ac pallio humeris suis imposito exclamasse: Ego sum Papa. (\*)* Insuper Theodoricus de Niemi illum non jam per ambages pro intruso habet, referens, ipsum, ne fraus sua appareret, eodem tempore Cardinales adhortatum fuisse, ut Conradum Caraccioli Cardinalem Melitensem, natione itidem Neapolitanum in Papam eligerent, qui licet in se bonus, tamen erat quasi omnino illiteratus, necnon valde grossus, & ad Papatum incapax. Propter hæc nonnullis Historicis visum est, concordia Eligentium vota vi extorta, ejusque electionem omnino liberam non fuisse. Ceterum haud ingratum erit Lectori, si succinctam hujus Pontificis historiam usque ad tempus, donec Ecclesiæ præficeretur, subjiciamus.

§. VII.

(\*) Hæc omnia putida esse commenta haud dubitamus, cum Niemus in omnes Pontifices maledicus duntaxat Joanni Andegavensis commendationem & Melitensis electionem objiciat, ipsumque Constantiense Concilium eidem solum generatim obtrudat, quod sua solertia Papatum aucupasset.